



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

2. Situs Domus Sapientiae ad Orientem est munijs Cultoris Sapientiae perquam idoneus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS II.

SITUS DOMUS SAPIENTIÆ.

Ad Orientem, est munijis Cultoris Sapientie perquam idoneus,

DE Oratione matutinâ & adoratione propria Studiosi Sapientiæ diximus aliqua, sed nunquam dicitur satis pro materiæ amplitudine, & officii necessitate. Illud itaque addatur, orandum illi, non tantum, quod philomela solet, mane in aurora, sub ortum solis, sed etiam converso ad Orientem, seu ad Orientalem mundi plagam vultu. Quod olim facere consueverant Christiani ex Apostolicâ traditione, ut docet S. Basilius (a) & Anastasius Nicænus. (b) Et ideo Tempora quoque sua constituebant ad Orientem, ut tradit B. Isidorus, (c) quod Clemens ab Apostolis etiam manasse scribit. Immo, Lucianus, Hyginus, & Latinus Pacatus (d) idem fecisse Gentiles prodiderunt. Denique Vitruvius, (e) ubi de Sacrarum ædium positione tractat, jubet ædis signum, sive statuam in ara positam occidentem spectare, ut templum adeuntes, & ad altare accedentes spectent Orientem.

At, cur Sapientiæ divina fiduciaris cliens, precum, aut etiam studiorum tempore, ad Orientem se vertat & in eâ plagâ Domum construat? AN quia Ortus mundi pars est nobilior ac honoratior, ideoque adorationi DEI & officij Sapientis est accommodatior? (f) Ab oriente lux & Sol oritur, & oriens non raro pro luce sumitur: lux autem & Sol imagines quædam sunt DEI sapi-

G 4

entissi-

(a) l. de Spir. S. cap. 27. (b) Q. in SS. q. 18. (c) l. 11. (d) Panegii d Theod. (e) lib. iv. cap. 5. (f) 8. Iustinus lib. question q. 118. S. Dionys. Eccl. hierar. par. 2. cap. 2. S. Cyrill. Cæsaresi. 1. myst.

entissimi, illustrantis omnia sed potissimum intellectus sibi addictorum. Huc spectat antiqua ceremonia baptismalis, ut Diabolo renunciaturus, ante ablationem, Occidentem versus statueretur sicque positus tertio renunciantis verba proferret; idemque postea Christum D. confessurus ad Orientem conuersus id totidem vicibus faceret. Nimirum, ut Occidens est tenebrarum, ita oriens luminis est hieroglyphicum: immo, fons lucis, indeque illustrationis. AN, quia decet Sapientiae discipulum, Solis etiam illius visibilis, qui invisibilis est symbolum, beneficium agnoscere, cum is ad DEI nutum toti mundo, sed in eo, homini praecipue, & mane vigilianti, lucem, calorem, hilaritatemque oriens adferat, sicque DEO Sapientiae Patri matutinus gratias agat. AN, quia prima Sapientis patria, primaque domus fuit in parte orbis orientali? è qua in Adamo pulsus, & illam continuò contempletur, ad illam suspiret, & cum ad illam redire nequeat, aliam ejusdem denominationis inquirat Paradisum caelestem, sic Daniel faciem ad Templum Ierosolymitanum, ad quod in Babylone exul aspirabat orans conuertebat. AN, ut Christum Sapientiae suae scaturiginem, immò ipsam Sapientiam, in Cruce pendentem veluti cathedra dicentem iugiter ob oculos habeat, & dicta ejus excipiat? Siquidem Christus Crucifixus respiciebat Occidentem; nam dorsum obuertebat Ierosolymae & Orienti, faciem verò conuertebat ad Occidentem. Itaque conuersus ad Orientem, Christum Crucifixum respicit, illique quodammodo occurrit. Sine ergo legat, siue scribat, siue aliquid aliud faciat, Crucifixum Dominum, velut Magistrum Doctoremque unicum suum intuetur. AN, quia, ut Christum ascendentem in caelum, & Judicem inde venturum

(a) Damas. lib. iv. de fide cap. 13. Cyrill. Catech. i. mystach. S. Basil. S. Nyssen. apud Moysen Barcephala lib. de Parad. p. i. cap. 14.

rum, adoret, colat, ac metuat, iudicii futuri memor, ne peccet in Domo Sapientiæ? Certè, Christus ascendens in cælum ad ortum efferebatur, ibique adoratus est à Discipulis, & sic inde venturus est ad iudicium, quem admodum ascendèrem, ibidem in cælum conspexerunt Apostoli, juxta illud Zachariæ xiv. *Stabunt pedes ejus in die illa supra montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Unde honorum omnium cum Davide illud erat votum, *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Psalmo cxxxvi.

ADORAMUS ad Orientem, inquit vetus auctor sub Anastasii nomine, *quia Deus est lux vera, eamq; ob causam ad lumen conversi creatum istud, non creatum illud, lumen, sed eius luminis creatorem adoramus, & ex elemento omnium splendidissimum creatorem DEUM veneramur.* Addatur, quod ex Oriente pater fidei nostræ Abraham prodierit. Hinc II. c. xli. *Quis suscitavit ab Oriente iustum vocavit eum, ut sequeretur se?* Vocavit Abrahamum Deus ab Oriente, nempe, Mesopotamia quæ Orientalis est Palæstinae ut sequeretur se: & profecto sequutus est DEUM Abraham vocantem cæca obedientia, *nesciens quo iret,* ut Paulus loquitur ad Hebræos xi. optima imago cultoris Sapientiæ. Nec malè, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, per Justum accipiunt Christum, qui à DEO hominibus est datus, quasi Sol quidam Iustitiæ ac Sapientiæ oriens in Oriente. Quemadmodum enim Sol Oriens mundum illustrat ac vivificat, sic Christus secundum Zachariæ vaticinium, *visitavit nos oriens ex alto Zachar. vi. 12.* & illustravit oriente luce divina, ad quod nobis eum oriri fecit Pater æternus. Quare inter propria Christi nomina est etiam Oriens. Illud quoque non omittatur, inter filios Jacobi Judam tabernaculum suum ad Orientem fixisse Num. 2. ut filiorum dignissimus, & Christiani populi figura illustris. Istud etiam in ceremonialibus veteris legis fuisse, ut

Sacer

Sacerdos tolleret de sanguine vituli, & aspergeret septies contra propitiatorium ad Orientem, ut est in leuitico. cap. xvi. Denique; ab Oriente profiliunt radii solares, corporibus humanis, plantis, domibus, quàm aliunde salubriores. Unde in Oriente plantatus fuit Hortus salubritatis, vitæ, ac voluptatis. Quid mirum, quod ad Orientem construamus Domum Sapientiæ, in qua perpetuo sit Aurora musis amica, & apta studiis Sapien-

A R T I C V L V S III.

SITUS DOMUS SAPIENTIÆ

*Ad Orientem, ingenii ad Sapien-
tiæ culturam accommodati
iudicium habet, vel spem prabet:*

INGENIA quidem multa præstantia ac præclarissimæ Orbis dedit Græcia, & Græciæ ocellus Athenæ, tum Italia, & hujus corculum Roma: sed si Herodiano fide ad Orientem omnes ferè mortales sunt ingeniis accer- mi. Quod insinuat in Divinis paginis libro Regum tertio capite quarto, ubi de prærogativâ Sapientiæ Solomonis per comparisonem: *Præcedebat Sapien- tiam omnium Orientalium*: ac si jam laudandum diceremus, præcedit subtilitate ingenii & speculatione altitudine omnes Hispanos. An fortasse id Orientalibus adscribendum quod propius à Sole absint: ut quædam opinantur, sicque magis excoctum habeant sanguinem, unde spiritus subtiliores, quibus Occidentales destituantur. Acute sane Dido, & ex hac persuasio ad Legatum Æneæ:

*Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni.
Nec tam aversus equos Tyriâ Sol jungit ab urbe.*

Quan-